

oculum mente ascendimus, nos coram ipsius majestate sistimus, denique cum ipso conjungimur. Atque hoc est quod in textu dicitur, Deum illi faciem suam ostensurum, et hoc pacto iustitiam illius ad ipsum reversuram, aut hominem Dei faciem conspexiturum. Sic porro animus divinae gratiae lumine illustratus ingenium delicti confessionem expromit, quod subjectis verbis indicatur.

Ver. 27 et 28.

Deus humillissime confessione placeatur.

Oportet etiam coram hominibus confiteri et magnificari misericordiam Dei.

Angeli adhaerent nos ad penitentiam.

27 et 28. RESPICIET HOMINES, ET DICET: PECCAVI, ET VERE DELIQUI, ET UT ERAM DIGNUS NON RECEPI. LIBERAVIT ANIMAM SUAM NE PERGERET IN INTERITUM, SED VIVENS LUCEM VIDERET.— Hoc est, cum publica confessione hominibus dixerit se peccasse, et pro scelorum magnitudine leviora subisse supplicia, accipiet bona, quae cum peccator esset ante perdidit, seque ipsum ab eo, qui jam impendebat, interitum liberabit; potest autem huius ultimi versus pars prima de anima proprie accipi, ne pergeret in interitum sempiternum; pars secunda de vita corporali. Quae satis apte significatur hoc hemistichio: Sed vivens lucem videret. Ceterum locus hic a quibusdam exponitur, quasi Eliu de Deo loqueretur, iniqui Deum intueri homines: quod si dicat aliquis: Peccavi, tunc Deum animam ipsius ab interitu eripere, et vitam lucem ipsi restituere, pro eo quod in tenebris mortis jacebat. Sed quia a verbo ad verbum est: Respiciet homines, et dicit: Peccavi, etc., facile patet Eliu continuare sermonem suum, ostendendo eum qui sic humiliatus fuerit, ut agnoscat peccata sua, et ad extrema redactus fuerit, cum Deus ipsi hanc gratiam largitur, ut eum ad se revocet, illi vitam sperem dari, quin etiam cor ipsius exhilarari, ut possit Deum certa cum fiducia invocare; ac postea se ad homines convertere, ut ipsis suas miserias exponat, et bonitatem Dei infinitam, quam senserit, magnificet. Atque hic secundus est fructus remissionis peccatorum, cum miser peccator cognoscit se a Deo non fuisse repudiatum: quam obrem oportet ut bonitatem illam Dei apud homines confiteatur, nec pudeat ipsum miseriam, qua, donec illum Deus ex ipsa misericordia sua liberarit, delinebatur, ostendere. Neque enim satis est, ut privatim quisque Deum precetur; sed gloriam ejus a nobis magnificari oportet, et unumquemque incumbere ad proximos incitandum, ut sic alii ab aliis edificentur; utque cum sic conspirabimus simul laudes Dei predicemus.

Vidisti summum in homine fastidium, quo universos edos abominabatur, adeo ut pene eneas iuncta animam exhalaret: simul et vidisti Deum in illum misericordiam, qua a tanto inedia periculo liberatur, et in floridam juventutem ac fervidam revirescit. Sed quo medio tam fastidioso homini juvenum vires donantur a Deo; imo juvenum fames paratur inter adeo lethalia tedia? Modo explicatum est remedium vers. 23: Si fuerit pro eo angelus loquens, etc.: nimirum si ex angelico impulsu penitentiae verba assumat in ore, quous pristina vitia detestetur. Ubi enim

penitentia vera adest, nullus panis non dulcescit; etiam panis lacrymarum avide editur, totumque lethale fastidium aboletur. Audi Nicetam in Catena Graeca sic loquentem: « Si peccationis suae causam in peccato consistere intellexerit, atque ad Deum de errato suo confessus se converterit, impendentem mortem inhibebit, etiamsi sexcenta sint quae mortem laessant et accersant. » Omne lethale aretur per penitentiam, et fastidium et tedium mortem adferens tollitur; multaque apparent incitamenta, quae appetitum humanum moveant, ut vite aspera avide capessat; unde dicebat Cellensis abbas lib. XII de Passibus: « Lacryma aut facit aut invenit paradysum: cum enim profusione lacrymarum tota irrigatur conscientia, ligna producantur fructum vite facientia. »

29 et 30. ECCE, HEC OMNIA OPERATUR DEUS TRIBUS VICIBUS PER SINGULOS. UT REVOCET ANIMAS EORUM A CORRUPTIONE, ET ILLUMINET LUCE VIVENTUM.— M. simplex est tres has vires exponendi modus, primus, isque maxime literalis, est, qui numerum ternarium pro incerto quovis magno numero accipit, q. d. Multis vicibus sive saepe loquitur, et erigit Deus singulos hominum: vide dicta Jobi cap. v, 19: ternarius enim significat universalitatem, ut et septenarius. Secundus est, quo per tres vires tres viae intelligantur, quibus Deus cum sceleratis hominibus agere solet, conformiter graeco textui, qui sic habet, Ἰδὲ τὰς τρεῖς ἁγίας ἐργασίας ἐργάζετο: ἑκάστη τὰς πρὸς τὸν θεόν, ἑκαὶ ἅλα ὅλα ὁμοῦ ἔργα ἐποίησεν. Tercius est, qui per tres vires intelligitur.

Ver. 29 et 30.

Quid hinc per tres vires intelligatur.

Tres modi conversionis ad Deum.

ita Olympiodorus in Catena: « Haec sapientis atque adeo robusti Dei sunt opera, ut triplicitate quadam ratione peccantes convertat; verbis, inquam, horribilibus, somniis, morbis. His viis tribus is, in cuius nutu ac potestate cuncta vertuntur, cum unoquoque agit homine, ut una aliqua ex his, is qui noxa tenetur, eruditus viet interitum, atque Deum in vita laudibus efferat. » Similia fere habet S. Chrysostomus ibid. in Catena, dicens: « Is qui sic hominum rationibus moderat vitam imperit; rerum necessarium disciplinam tradit, recteque factis mercedem persolvit, atque supplicia flagitiis decernit: itaque cum hominibus agit, ut coarguat, increpet, nocturnis terroribus minuetur, loquendo doceat, egrotationibus atque imbecillitatibus cruciet. » Tertius has tres vires explicandi modus est S. Gregorii lib. XXIV Moral. cap. vii, ubi per tres vires accipit tres modos conversorum, scilicet inchoationem, progressionem et perfectionem vite christiane, sive tres gradus perfecta libertatis, scilicet ipsam conversionem, tentationes, formidinem mortis, iudicii et aeternitatis. Si enim tres sunt iustorum status, primus, quo ad bonae frugem convertuntur; secundus, quo in virtutis itineribus progrediuntur; tertius, quo ad finem vite, scilicet ad perfectionem perveniunt: quid erit tribus vicibus per singulos Dominum suos electos affligere, nisi in ipsa virtutis initio, atque in progressu, nec non in virtutis culmine eos tentationibus pressurisque probare? quemadmodum Paulus de se et de omnibus perfectis dixit Actor. xiv, 21: « Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. » Quod quidem cum excelsum sit pusillis et magnis, ascensum habet perdifficilem, quos omnes infirmitas carnis onerat, et qui ex eo ceciderunt adversarii circumdant. Plura vide in S. Gregorio loco citato.

Ver. 31 et 32.

31-33. ATTENDE JOB, ET AUDI ME: ET TACE DUM EGO LOQUOR: SI AUTEM HABES QUOD LOQUARIS, RESPONDE MIHI, LOQUERE: VOLO ENIM TE APPARERE JUSTUM: QUOD SI NON HABES, AUDI ME: TACE, ET DOCEBO TE SAPIENTIAM.— Quemadmodum Jobus saepe cum stomacho similes voces ab amicis audierat, sic etiam verisimile est; haec quoque verba Eliu durius accepisse, neque dubiis id signis ostendisse, avertendo nimirum aut distorquendo faciem, aut aliquo alio modo, quo audaci et sciolo adolescenti silentium indiceret. Quod videtur impatienter tulisse superbus adolescens, quem de vana opinione sapientiae tumor inflabat; unde Jobum inurbanus atque imperiosius alloquitur, quam modestiae ratio et juvenilis etas postulabat, q. d. Quid tacite, o Jobe, contra me tecum obmurmuras? quid faciem stomachosius avertis, quasi quae a me dicuntur superbe despicias? Audi jam, et adverte faciem, neque me loquentem impediatis obstepiendo; quod si quidquam habes quod obloquaris, aut tuam innocentiam probes, audiam non invitus: ut enim cupio te esse, sic etiam

aveo te apparere justum: quod si nihil habes, quod in tua causae defensionem respondeas, aut quo te sapientem esse doceas, tace, et audi, fortasse ex mea sapientia incipies esse sapiens: ita Sanctus.

Ceterum ut hinc etiam aliquid in usum nostrum decerpamus; hic in persona Jobi admonemur tacendum esse nobis, ut doceamur. Omnis enim vera hominum sapientia in eo posita est, ut se Deo dociles praebant, seque iis quae in nomine et auctoritate ipsius proponuntur penitus subjiciant. Estque haec admonitio valde utilis: sentimus enim fere semper in nobis repugnantias esse, ne se ingenia nostra ea qua par esset humilitate verbo Dei accommodent; neque si nobis bona et sancta aliqua doctrina proponatur, sumus ea modestia praediti, ut illam admittamus; sed ea plerumque superbia laboramus, ut nulli alii quam voluntati nostrae obnoxii esse cupiamus. En naturam nostram ita vitiatam, ut adversus Deum insurgat, et adversus verbum ipsius fere semper recalcitret. Cum igitur ejusmodi vitio tam malo et detestando laboremus, nobis hic propositam admonitionem observemus; ut nimirum dociles simus, cum Deus efficit, ut nobis sua veritas proponatur. Atque hoc primum nobis observandum est in exhortatione, quam hic Jobe Eliu proponit. Alterum, quando ait se cupere ut Jobus absolvatur, in eo admonemur, ne acerbitate quadam animi aut contentiosis studio decedamus; quomodo fere solent homines in adversarios suos ferri; sed zelo rectitudinis et aequitatis solius Dei gloriam et proximi aedificationem spectando.

Tacendum ut doceamur.

Non contentiosis studio decedamus, sed zelo rectitudinis aequitatis.

CAPUT TRIGESIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jobo ad iactabundi hominis verba prudenter silente, Eliu novis animis prosequitur disputationem, et totus jam in eo est, ut ostendat Deum in omni rerum administratione esse aequissimum: hoc autem facto fundamentum vult concludere, Jobum nihil iniquum pati a Deo, et inique conqueri de divino iudicio.

1. Pronuntians itaque Eliu, etiam haec locutus est: 2. Audite sapientes verba mea, et eruditi auscultate me: 3. Auris enim verba probat, et guttur escas gustu dijudicat. 4. Iudicium eligamus nobis, et inter nos videamus quid sit melius. 5. Quia dixit Job: Justus sum, et Deus subvertit iudicium meum. 6. In iudicando enim me, mendacium est: violenta sagitta mea absque ullo peccato. 7. Quis est vir ut est Job, qui bibit subsannationem quasi aquam: 8. Qui graditur cum operantibus iniquitatem, et ambulat cum viris impiis? 9. Dixit enim: Non placebit vir Deo, etiamsi cecurrerit cum eo. 10. Ideo viri coram te audite me, absit a Deo impietas, et ab Omnipotente iniquitas. 11. Opus enim hominis reddet ei, ex iuxta vias singulorum restituet eis. 12. Vere enim Deus non condemnavit frustra, nec Omnipotens subvertet iudicium. 13. Quem constituit alium super terram? aut quem posuit super orbem, quem fabricatus est? 14. Si direxerit ad eum cor suum, spiritum illius et flatum ad se trahet. 15. Deficit omnis caro simul, et homo in cinerem revertetur. 16. Si

habes ergo intellectum, audi quod dicitur, et ausculta vocem eloquii mei. 17. Numquid qui non amat iudicium, sanari potest? et quomodo tu eum, qui justus est, in tantum condemnas? 18. Qui dicit regi: Apostata: qui vocat duces impios: 19. Qui non accipit personas principum: nec cognovit tyrannum, cum discipletur contra pauperem: opus enim manuum ejus sunt universi. 20. Subito morientur, et in media nocte turbabuntur populi, et pertransibunt, et auferent violentum absque manu. 21. Oculi enim ejus super vias hominum, et omnes gressus eorum considerat. 22. Non sunt tenebrae, et non est umbra mortis, ut abscondantur ibi qui operantur iniquitatem. 23. Neque enim ultra in hominis potestate est, ut veniat ad Deum in iudicium. 24. Conteret multos, et innumerabiles, et stare faciet alios pro eis. 25. Novit enim opera eorum: et ideo inducet noctem, et conterentur. 26. Quasi impios percussit eos in loco videntium. 27. Qui quasi de industria recesserunt ab eo, et omnes vias ejus intelligere noluerunt: 28. Ut pervenire facerent ad eum clamorem egeni, et audiret vocem pauperum. 29. Ipso enim concedente pacem, quis est qui condemnet? ex quo absconderit vultum, quis est qui contempletur eum et super gentes et super omnes homines? 30. Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. 31. Quia ergo ego locutus sum ad Deum, te quoque non prohibebo. 32. Si erravi, tu doce me: si iniquitatem locutus sum, ultra non addam. 33. Numquid a te Deus expetit eam, quia displicuit tibi? tu enim cepisti loqui, et non ego: quod si quid nosti melius, loquere. 34. Viri intelligentes loquantur mihi, et vir sapiens audiat me. 35. Job autem stulte locutus est, et verba illius non sonant disciplinam. 36. Pater mi, probetur Job usque ad finem: ne desinas ab homine iniquitatis. 37. Quia addit super peccata sua blasphemiam, inter nos interim constringatur: et tunc ad iudicium provocet sermonibus suis Deum.

Ver. 1. 1-4. PRONUNTIANS ITAQUE ELIU ETIAM HEC LOCUTUS EST: AUDITE SAPIENTES VERBA MEA, ET ERUDITI ASCULTATE ME: AURIS ENIM VERBA PROBAT, ET GUTTUR ESCAS GUSTU DJUDICAT. JUDICIUM ELIGAMUS NOBIS, ET INTER NOS VIDEAMUS QUID SIT MELIUS. — Cum a Jobo nihil expectaret Eliu, sequè ab illo contemni putaret, viros advocat, qui presentes aderant quasi sapientes, a quibus petit, ut ipsi iudicent an juste accusetur Jobus, et sua verba ab illo tanquam inania iudicari debuerint. Quod autem ait: « Auris enim verba probat, » etc., supra cap. xii, vers. 11, explicatum est; ubi hæc eadem sententia repetitur, videturque fuisse Idumæis attentionis captandæ forma familiaris. Quoniam ergo arrogare et invidiosum erat postulare, ut illura juvenem sapientes et eruditi audirent, lenit invidiam ad ipsorum iudicium provocans, et rem totam ipsis discernendam relinquens. *Judicium eligamus nobis*, id est, in modum iudicii publici pro tribunali causam hæc executamus, disceptemus inter nos jussu rationibus; et videamus uter nostrum melius sentiat, et verum dicat, q. d. Vos appello et facio iudices. Electionem autem postulat non iudicii capiti, sed absoluti: nam iudicium hoc loco discussio, collatio, exploratio est, quam vulgo *examinationem* vocant, per quam cognoscitur quod est omnium optimum atque verissimum, cujus delectus, rejeclis parum piis ac veris sententiis, haberi debet. Et quidem hæc dicendi ratio ætatem excusat, quasi non querat sibi, sed rebus ipsi adhiberi fidem, quo per sententiæ discussio-

nem collinat. Subjicit autem nonnulla Jobi dicta examini postulato: 5 et 6. QUIA DIXIT JOB: JUSTUS SUM, ET DEUS SUBVERTIT JUDICIUM MEUM. IN JUDICANDO ENIM ME MENDACIUM EST: VIOLENTA SAGITTA MEA ABSQUE ULLO PECCATO. — Quoniam iudicium postulavit, quo ferretur de suis et de Jobi dictis sententia, adfert Jobi verba, ut cum illis conferat sua, quibus ea confutur. Asserta vero hæc que profert ex Jobo Eliu ad examen non uno sensu ab interpretibus accipiuntur. Nos tantum ea quæ coherere videntur dicemus, videlicet cap. xiii, 18: « Si fuero iudicatus, scio quod justus inveniar; » capite vero xxvii, 6: « Justificationem meam quam cepi tenere, non deseram, » ubi aperte constat Jobum se justum asseruisse. Quod vero ad secundum assertum pertinet, « Deus subvertit iudicium meum, » cap. xxvii, 2, sic habet: « Vivit Deus, qui abstulit iudicium meum: » capite autem xix, 6 sic dixerat: « Saltem nunc intelligite, quia Deus non æquo iudicio afflixerit me. » *Subvertere iudicium* hic, quod ad rem attinet, idem est quod *auferre iudicium*, non æquo iudicio affligere, vel quod simile. Quod vero ait: *In iudicando enim me mendacium est*, si verba spectemus, nullibi de Deo a Jobo dictum videtur; at quod ad rem spectat ipsam sepe de amicis id videtur affirmasse, dum contendit eos aperte falli, falsove opinari illum peccasse, quod fuisset innoxius; et quidem ita se res habet, amicos videlicet Jobi in eo iudicando fuisse mendaces, cum longe aliter quam veritas requireret asseverarint.

Ver. 5 et 6.

Eliu non satis æquum verborum Jobi interpretatur.

Job non dicit Deum mendacium esse.

Illud denique: *Violenta sagitta mea absque ullo peccato*, respicere videtur verba illa cap. xvi, 18: « Ille passus sum absque iniquitate manus mee, cum haberem mundas ad Deum preces: » violentum quippe juxta opinionem Eliu foret, graviter torqueri absque culpa, cum minime nosset aliis de causis incusates a Deo excreri. Interest nullum, quo sensu verba sincero prolata accipiuntur: neque enim quod ex aliejus verbis arguendo colligimus, continuo sequitur id ab illo directo, et, ut aiunt, formali sensu fuisse prolatum; quo sensu autem Jobus illa dixerit, quæ hæc criminationibus accusat et damnat Eliu, diximus suis locis, ubi illa a scelere et errore vindicavimus; neque illa hoc loco repetere necessarium est. Hic tantum nota illud: *Violenta sagitta mea*, hebraice haberi וַיִּשְׁלַח אֱנֻשׁ חֵטִי; quod alii vertunt, *valida sagitta mea*, alii *infracta, languida*, alii *insanabilis*, alii *desperata*: quæ omnia apprimè conveniunt afflictioni Job, quæ hic vocatur *sagitta*; satis quidem illa homini fragili qui patitur violenta, insanabilis, desperata; satis vero infirma respectu Dei omnipotentis, qui multo acerbioribus potest hominem penis excruciare; infirma etiam homini, qui Dei adjutus ope æquanimitè fert; infirma denique homini, si eam comparat cum gehennalibus incendiis.

Afflictio est re peccata hominis violenta sed respectu Dei infirma.

In quibus Eliu Jobum accusat.

Itaque Eliu præcipue Jobum hic accusat, quod conquereretur vultus suum, et quidem sine pravaricatione ulla sua, grave esse, Deumque ita jux ipsius pervertisse, ut se mendacem inveniri oportere, quamvis vere haberet unde posset se justificare. Septuaginta vertunt, ἔτι ἀρεσκὴν ἴσθ' ὁμοίαι; *eius, ὁ ἕλεος ἀπὸ δακρύων μου τὸ κέσμα*, quia dicit Job: *Justus sum, et Dominus removit iudicium meum*; Scholiastes exponit ἀπὸ δακρύων, *immutavit, alienavit*; Olympiodorus, ὁ δὲ Θεὸς, *non τὸ κριτικὸν εἶναι ἐπέλατῆ, Deus autem mihi facultatem iudicandem non custodivit*, juxta Symmachum et Aquilam, ἀπέστρεψε καὶ ἀπέστρεψε ἀπὸ τοῦ κέσμα, *pervertit et amovit a me iudicium*. Cæterum auferitur iudicium ejus qui non potest se iudicio defendere, aut jure causam suam prosequi; quod Job summopere desiderabat; aut cui jus petenti denegatur. Quando igitur Eliu Jobo exprobat ipsum dixisse: *Justus sum, et Deus subvertit iudicium meum*, hoc non ita crude accipiendum, quasi Jobus sic præcise Deum voluerit accusare, quod is jus ipsius pervertisset; sed hoc illi vitio vertit, quod cum homo mortalis esset, adversus Deum jus suum præcise tueri velle videretur; cum id fieri non possit, quin Deo obtretrat, et adversus ejus justitiam insurgat. Quo etiam spectant verba sequentia: *In iudicando enim me mendacium est*; Septuaginta vertunt, ἰσχυρῶ δὲ τῷ ὁμοίαι, *mentitus est in iudicio meo*: in Hebræo est, *in iudicio meo mentior*. Quod Mercerus explicat, *in meo jure et causa mendax habeo et falsus, quasi injuste me tuear, et me falso dicam innocentem: itaque tyrannice quoque jure quaque injuria punior et condemnor*. Mentior er-

go, id est, mentiri videor in meo jure, et quasi mendax et injustus damnor. Quo significat se non admitti ad causæ defensionem; idque perinde esse, atque cum iudices sunt iniqui et crudelès, et sua auctoritate bonum aliquid jus volunt opprimere. Eni tunc Eliu nunc Jobo exprobrat, quod Deum accusarit: quamobrem in ipsum tanquam in impium et blasphemum acris invectur dicens:

7-9. QUIS EST VIR UT EST JOB, QUI BIRIT SUBSANNATIONEM QUASI AQUAM: QUI GRADITUR CUM OPERANTIBUS INIQUITATEM, ET AMBULAT CUM VIRIS IMPIS? DIXIT ENIM: NON PLACEBIT VIR DEO, ETIAMSII CUCURRERIT CUM EO. — Contendit Eliu Jobum, ut projectissimæ audacie hominem, Deo irrisorem ac contemplorem redarguere, q. d. Quis est, o viri sapientes, tam insigniter impius, et ad omne scelus usque adeo projectus, quem Jobi non superet insolens audacia? qui nihil difficultius subsannat alios, et impudentè insultat, quam sibiens bibi aquam, qua ardorem æstantis stomachi restinguat. Ubi obiter nota illud, *bibere sicut aquam iniquitatem aut subsannationem*, proverbialè habere speciem, qua significetur iniquitas aut subsannatio non solum amovet, sed etiam sine sensu, sine scrupulo aut amore conscientie temere admitti. De qua loquendi forma vide que cap. xv, 16 dicta sunt. *Qui graditur cum operantibus iniquitatem*, etc.: hic modus loquendi licet societatem

Ver. 7, 8 et 9.

Quo sensu Eliu dicit Jobum bibere sicut aquam subsannationem.

Quo sensu dicitur graditur cum operantibus iniquitatem.

indicet, quam frequens usus congressusque alit atque confirmat; aliquid tamen non tam significat vite familiarè consuetudinem quam similitudinem morum, cum alicui, licet vite genere atque instituto et locorum diversitate distantes, conveniunt tamen similitudine et exemplo; ita ut quilibet aliorum exprimat mores et ingenium, ita ut si hunc noris, cæteros noris: hoc sensu dicitur *Psalm. 1, 1*, justus non stesise in via peccatorum, atque non ambulasse cum peccatoribus, id est, non fuisse peccator. Et alibi de impio dicitur *Psalm. XLIX, 18*: « Si videbas furem, currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas, » id est, eras fur et adulter. Hoc opinor sensu dicitur Jobus ab Eliu ingredi cum operantibus iniquitatem, et ambulare cum impiis, quia illum iniquitatis et impietatis accusat: de alia enim societate non ausus esset quidquam affirmare, quia semper improborum societatem exhorruit, neque unquam cum impiis conversatus fuit. Huic affinis est ille dicendi modus, quo qui moribus sunt similes fratres appellantur; juxta illud *Prov. cap. xviii, 9*: « Qui mollis et dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis; » et *Ecclesiasticus* ait cap. xxvii, 27: « Qui effundit sanguinem, et qui fraudem facit mercenario, fratres sunt. » Quam explicationem probat id quod proxime sequitur:

DIXIT ENIM: NON PLACEBIT VIR DEO, ETIAMSII CUCURRERIT CUM EO, — id est, executus fuerit fœderatorem ejus mandata, quasi currens cum eo: fœderatorem enim

Quid sit currere cum eo.

esse intelligitur ex infinita dignitate Dei, in quem peccatur: tanto enim gravior quis peccat, quanto major est dignitas personae, in quam peccat: plus enim peccat qui percutit principem, quam qui percutit privatam personam. Quo fit, ut culpa peccati mortalis contra Deum quamdam velut infinitatem contrahat; et cum non possit pena esse infinita secundum intensionem, relinquatur ut sit infinita secundum durationem. Cum autem dicitur Deum redditurum cuique secundum opera ejus, intelligere oportet, Deum esse redditurum non quidem secundum aequalitatem operum: nam si substantia meriti atque praemii aestimetur, praemium multis parasangis exsuperat et excedit ipsum meritum; ideoque Paulus scribit *Rom. viii, 18*, passiones hujus temporis non esse condignas gloriae quae revelabitur in nobis, et alibi *II Corinth. iv, 17*, ait leve ac prope momentaneum tribulationis hujus temporis immensum gloriae pondus operari. Reddet igitur Deus secundum opera, id est, secundum qualitatem, et numerum et intensionem operum; quia bonis retribuet bona, et melioribus meliora; similiter etiam malis.

Hinc valide confutantur heretici hujus temporis, qui licet non inficiantur justos facere bona tanquam fructus fidei suae, per quam justificati sunt; pugnant tamen praefracteque contendunt, non dari justis vitam aeternam propter bona eorum opera, quasi justam mercedem merito honorum operum respondentem; sed hanc istorum sententiam evidenter ostendit esse falsam B. Paulus dicens *Rom. ii, 6*: « Qui reddet unicuique secundum opera ejus. » Quibus verbis Paulus docet Deum redditurum vitam aeternam non solum habentibus bona opera, sed etiam redditurum ipsis secundum opera ipsorum. Id autem est pro qualitate et quantitate operum quae fecerunt in hac vita. Hanc ipsam Pauli sententiam etiam pluribus aliis in locis sacrae Scripturae usurpatam reperimus, ut in isto *Psal. lxi, 12*: « Semel locutus est Deus, duo haec audivi, quia potestas Dei est, et tibi Domine misericordia: quia tu reddes unicuique secundum opera sua. » Quid est: *Semel locutus est?* hoc nempe sententiam firmam et irrevocabilem dixit, et firmissimum et immutabile voluntatis suae decretum significavit: sic enim exponere convenit juxta id quod praec. cap. *xxxiii, 14* dixit Eliu: « Semel loquitur Deus, et secundo id ipsum non repetit. » Praeterea eandem sententiam pronuntiatur est Dominus in die generalis extremique judicii, sicut refert S. Mattheus in evangelio cap. *xvi, 27*: « Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis: et tunc reddet unicuique secundum opera ejus. » Quae sunt verba ipsius Domini, uti et illa *Apoc. xxi, 12*: « Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua: » quae omnia sunt prorsus eadem cum hisce verbis Eliu: « Opus enim hominis reddet ei, et juxta vias singularum restituet. »

Contra haereticos non tri temporis, arguit vitam aeternam dari justis propter bona eorum opera.

Sed audi, quae, quemadmodum haeretici clarissimam hujus sententiae lucem veritatis commentitiosis interpretamentis varie coram? sint infuscare: quidam eorum aiunt, illud *secundum opera* perinde dici, ac si diceretur, secundum fidem, quam indicant opera; praesertim vero, cum ipsum etiam credere in Deum appetatur opus: Dominus enim Jesus quaerentibus ex ipso Judaeis *Joan. vi, 28*: « Quid faciemus, ut operemur opus Dei? » respondit: « Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille. » Sed nemo est profecto qui non videat contortam et violentam esse istiusmodi expositionem: cum enim dicuntur opera hominis, non intelligitur fides tantum, sed opera aliarum virtutum tam interna quam externa; praesertim autem apud Paulum, qui solet opera distinguere a fide. Alii autem illud, *secundum opera*, dicunt significare non causam, quasi opera sint causa propter quam reddatur justis vita aeterna; sed significare tantummodo ordinem et consequentiam futurorum, ut sit hic sensus: Dabit unicuique post bona opera ejus vitam aeternam; sed enim in Scripturae praepositio illa *secundum* nusquam ponitur, ut significet post. Nonnulli dicunt illud *secundum* significare tantum compensationem quamdam, non autem meritum et causam, ut sit sensus: Licet bona opera justorum non sint condigna retributione vitae aeternae; Deum tamen pro sua infinita benignitate compensare ea retributione vitae aeternae. Verum longe diversus est intellectus verborum Pauli, aperte significantis pro qualitate ac merito dignitateque operum retribuendum cuique esse a Deo. Nec desunt qui dicant, Paulum istis verbis non aliud declarare voluisse, nisi quibus personis retribuenda esset vita aeterna, iis nimirum personis, quae habent bona opera tanquam fructus fidei, per quam justificati sunt, et per quam potissimum apprehendent vitam aeternam; sed isti fallaciter dissimulant illam praepositionem *secundum*, quae demonstrat, non solum habentibus bona opera, sed propter ipsa bona opera retributum iri vitam aeternam. Alias praeterea confingunt interpretationes, sed tales, ut plane ostendant se restrictos hac Pauli sententia teneri, et quoquo modo effugium aliquod quaerere, nec ullum tamen reperire posse.

Eandem porro sententiam, licet diversis verbis, idem tamen significantis, tradidit idem S. Paulus aliis in locis, ut *I Cor. iii, 8*: « Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum sum laborem; » et *II Cor. v, 10*: « Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum sive malum; » et *ibid. iv, 17*: « Mortuorum hoc et leve tribulationis nostrae gloriam gloriae pondus operabitur in nobis. » Eandemque veritatem comprobant sententia illa, quam Dominus noster in extremo judicio pronuntiatur est: eam vero S. Mattheus refert his verbis cap. *xvii*,

Haereticorum fatuas explicaciones loqui sancti Pauli reprobis allati de operibus et remuneratione.

Operibus misericordiae gratissimum est aeternum.

34: « Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi: esurivi enim, et dedistis mihi manducare, » etc. Quibus verbis aperte declarat Dominus vitam aeternam retributum iri hominibus propter bona eorum opera, praecipue autem propter opera misericordiae, quorum proprie merces est regnum caelorum. Unde S. Chrysostomus hom. *32 in Hebr.* de miseratione loquens: « Huic, inquit, portae caeli aperiantur, et veluti regina intrante nullus janitorum, nullus custodum, qui portis assistunt, audeat dicere: Quae es tu, aut unde? sed omnes eam prompte continuoque suscipiant. » Fallunt quidem gentiles, eum genium quemdam inducunt Mercurium *hegemonem et psychopompum*, hoc est *ducem et perductorem animarum* cum solute a corpore fuerint: sed doctus a Deo Chrysostomus loco jam nunc citato pie misericordiam induxit ut virginem niveo vultu et amiculo decoram, et alis praeditam aureis, quae ad sublime Dei solium nos evehat. Unde negat S. Augustinus in *Psal. cii*, aliud esse velicolum, quo perducamur ad patriam. Et S. Ambrosius lib. *vii in Luc.* ea causa eandem vocat *praevidiam caelestium mansionum*, quae nimirum aditum pandit ad felicitatem: « Sola virtus, inquit, comes est defuncto: sola nos sequitur misericordia, quae caelestium praevia mansionum, pecunie vilis usura tabernacula defunctis acquirit aeterna. »

Vers. 13. 13. QUEM CONSTITUIT ALICUI SUPER TERRAM? AUT QUEM POSUIT SUPER OMNEM, QUEM FABRICATUS EST? — Duo paucis firmissima tangit argumenta ad probandum id quod proxime dixerat, Deum neque frustra condemnaturum, neque judicium subversurum, tum quia omnia ab ipso fabricata sunt, tum quia res omnes gubernat; non potest autem non amare quod fecit, et non curare quod regit, quemadmodum pulchre S. Gregorius lib. *xxiv Moral.* cap. *xi*, ad hunc locum docet his verbis: « Per se quippe mundum regit, quem per se condidit; nec eget alienis adiutoris ad regendum qui non eguit ad faciendum. Sed haec idcirco colliguntur, ut liquido indicet, quia omnipotens Deus si per semelipsam regere non negligit quod creavit, quod bene creavit utique bene regit: quia quod pie condidit implere non disponit, et qui necdum facta curavit ut essent, quae facta sunt non deserit. Quia ergo praesens est in regimine, qui auctor existit in creatione, ideo curam nostri non preterit: » sic ille. Vis ergo rationis ab Eliu allatae petitur vel a divina providentia, quam oportet esse perfectissimam, et cui accidere nequit immoderatus alius affectus, ut rerum ignoratio, ut judicium pervertat; vel a Dei amore, quo suas prosequitur creaturas, juxta illud *Sap. xi, 21*: « Diligis omnia quae sunt, et nihil odisti eorum quae fecisti: nec enim odiens aliquid constituisti aut fecisti. »

Deus non potest.

Ex quo duci potest argumentum, incredibile esse a Deo corrumpti judicium erga res quas im-

pense amat: nequit enim credi Deum, qui absque detrimento illo beneficentiam exercere potest, gratis excruciare affligereve innoxios, vel non sincere judicare. Sicut enim semper Deus est, ita et justus, ut nihil ipsi magis conveniat quam justitia et aequitas: hanc quisquis Deo derogat, essentiam ejus violat, quia non est Deus ut sit idolum, ut sit res mortua et otiosa; sed Deus est ad mundum regendum, ideoque habet in se summam majestatem, ut eum judicet; cumque iudex sit, eum ita aequum esse oportet, ut nihil in ipso culpam possit: sciamus itaque haec duo vinculo indissolubili conjuncta esse, Deum omnia fecisse et omnia regere. Numquid igitur existimamus Deum vocare et asciscere sibi socium, qui ipsum in regendis suis creaturis adjuvet? verum quidem est Deum uti mediis et causis inferioribus ad mundum regendum; id tamen ejus auctoritatem non imminuit; supra omnes niques dominatur. Quid sunt magis reges nisi manus Dei? Ipse vero illis, prout ipsi videtur, utitur, sicuti per Prophetam superbo illi Sennacherib exprobat, qui se omnia sua industria effecisse existimabat *Isai. x, 15*: « Numquid gloriabitur securis contra eum qui secat in ea? aut exaltabitur serra contra eum a quo trahitur? » id est, si homo quispiam serram aut cultrum trahet, eo secet aut utatur pro arbitrio, numquid instrumentum adversus hominem potest insurgere? Minime. Quod ostendit hominem non solum posse uti manibus et brachiis, sed etiam habere ea quae sunt extra se in potestate sua. Num que est virtus in creaturis mortalibus nisi a Deo vivente? nonne omnia suum esse ab ipso habent? Nihil igitur sumus a Deo separati, in quo *Actor. xvii, 28*, « vivimus, movemur et sumus. » Cognoscimus itaque, cum Deus hujus mundi media adhibet, et hominum opera utitur tanquam instrumentis, id non eo referendum esse, ut ejus potentia imminuatur aut circumscribatur, sed potius eo ostendere se ipso regere; si jubeat duntaxat et sibilet, homines praesto esse ad voluntatem ipsius exsequendam: quin etiam inferni diabolo eo adigi, et quamvis id nolint, idque omnino contra ipsorum scopum et voluntatem fiat, Deum tamen illos potentia violenta inducere ad id quod in concilio suo decrevit exsequendum. Unde subdit:

14 et 15. SI DIREXERIT AD EUM CUM EQUUM, SPIRITUM ILLIUS ET PLATUM AD SE TRAHET: DEFICIET OMNIS CARO SIMUL, ET HOMO IN CENEREM REVERTETUR. — Convenit inter omnes interpretes et expositores de horum verborum, licet obscura videatur, explanatione, q. d. Si Deus hominem vellet aut universum quod creavit omnino delere, cum id facere sua voluntate posset; non esset opus calumnias struere, aut judicia subvertere, quod faciunt iniqui; sed satis esset, ut omnem carnem et rerum universitatem dissolveret, illud tantum voluisse simpliciter dirigere enim aut opponere cor idem

corrumperet judicium.

Reges omnes sunt instrumenta Dei, a quo duntaxat pendent.

Deus solo nata et voluntate potest hominem et universa delere.

est quod *velle*, aut ad aliquid curandum adverte-
 re seu inclinare cor sive ad bonum de rebus
 sive ad malum statuéndum, quomodo cap. vii,
 17 dixit Job : « Quid est quia magnificas eum, aut
 quid apponis erga eum cor tuum? » Spiritum vero
 seu flatum ad se trahere perinde est ac interceptare,
 perimere, exsinguere, quod videtur alludere ad
 hominis creationem Genes. ii, 7, in qua factus est
 homo in animam viventem, mox ac inspiravit
 Deus in faciem ejus spiraculum vite. Nostro quip-
 pe more intelligendi Deus ad hominis corpus pro-
 prius accedens quasi inhalavit, flavit, sive halitum
 suum infudit, inspiravit ut viveret : quapropter
 a contrario sensu eleganter dicitur Deus, dum
 interficit, flatum, quem emiserat, ad se trahere.
 Cum itaque a Deo assidue conservemur, de ipso
 nobis sentiendum est in bonitate, quod unoquo-
 que temporis momento non percamus : qua enim
 alia re opus est ad nos in cinerem et nihilum ve-
 penius redigendos, quam solo Dei aspectu vel fla-
 tu? « Aspexit, inquit Habacuc cap. iii, 6, justo
 videlicet furore inflammatus, quod igitur inde se-
 quitur? et dissolvit gentes, » vel ut est apud Sep-
 tuaginta, *καὶ δάκρυα ἔβρε, et disolvuerunt gentes*. Sic
 alibi dicitur Deum in homines sufflare, tunc om-
 nem ipsorum vigorem statim mutari, marcescere
 et exarescere. Propheta Isaias sic loquitur de vir-
 tute hominum, quando ipsos herbe aut flori com-
 parat clamans cap. xl, 6 : « Omnis caro fenum,
 et omnis gloria ejus quasi flos agri. Exsiccatum
 est fenum, et cecidit flos; quia spiritus Domini
 sufflavit in eo, » ubi dicit Deum, si sufflet, duntaxat
 nobis fore instar venti, qui exsiccet herbas : sic
 exarescimus. Atque illud est quod etiam Exod.
 xv, 10 in cantico Moysis dicitur; verum hic est
 alia comparatio, quæ tamen tendit ad eundem
 finem, si nimirum Deus ad se spiritum et halitum
 suum retrahat nos perire, sicut etiam dicitur
 Psal. cii, 29 : « Auferes spiritum eorum, et deficient,
 et in pulverem sumum revertentur, » quod con-
 gruit cum eo quod hic habetur. Cum enim non
 subsistamus, nisi quia placet Deo spiritum suum
 super nos effundere, si vim illam subtrahat, sta-
 tim pereamus necesse est; quo admonemur nos-
 tre fragilitatis, ut intelligamus nos a Deo susten-
 tari ac tolerari; cumque vel momentum temporis
 super terram manemus, et ejus gratiæ acceptum
 referendum esse.

Amor Dei
 amor
 fulm-
 manur,
 quidquid
 in nobis
 carnale
 est del-
 cit.

Mystice locum hunc sic recte exposueris, ut
 sensus sit: Si Deus apposuerit cor suum erga ho-
 minem amore illum prosequens, et consequenter
 suo amore eum inflammans, trahet ad se spiri-
 tum illius et flatum, id est animam seu mentem,
 et omnes ejus internas ac externas operationes
 que hominis propriæ sunt, et ad spiritalem vitam
 diriguntur; simul autem quidquid carnale in eo
 est deficit et consumetur, ac revertetur in cin-
 erem : de quo vide D. Gregorium lib. XXIV *Mor-*
al. cap. xi. Cæterum sicuti vis mortis aliter os-
 tenditur in bestiis et in hominibus : animas enim

bestiarum penitus exstinguit, et in nihilum red-
 git, animam vero hominis minime, sed in novam
 mutat vitam a corpore independentem; corpus
 autem consumit, et in pulverem convertit : sic
 charitas omnes bestiales motus carnis penitus ab-
 sumit, spiritum vero hominis in melius mutat,
 et ad Deum elevat, ut in ipso vivat rejecta super-
 flua carnis cura, et tanquam vilem pulverem re-
 putans quidquid ad ipsam spectare videtur.

16 et 17. Si habes ergo intellectum, audi quod
 dicitur, et ausculta vocem eloquii mei. Numquid
 qui non amat iudicium sanari potest? et quomodo
 tu eum, qui iustus est, in tantum condemnas? —
 Avertit Eliu sermonem ab aliis, et refert ad Jo-
 bum, quem insipientem iudicat, dum de illius
 intelligentia dubitat dicens : « Si habes ergo intel-
 lectum, » etc. q. d. Tu igitur, o Jobe, si quid ha-
 bes mentis audi quod jam dicam, quod si attente
 consideres, magno tibi erit usus : si sanari desi-
 deras, neque ab alio salus quam a Deo sperari
 potest, quomodo illum iniquitatis arguis, et per-
 versi ac violati iudicii tam aperte condemnas?
 « Manifestum est, inquit Philippus presbyter ad
 hunc locum, quia is qui iuste et recte iudicare
 non diligit, neque sanare a vitio neque corrigere
 quemquam potest : » quæ eadem verba habet
 Iuda; sensusque est: Qui non amat iudicium sa-
 nare non potest : propterea Deus sanat, qui di-
 ligit iudicium, et ex amore iustitiæ iudicat. Hoc
 est quod dixit regius Vates *Psal.* xlv, 8 : « Dile-
 xisti iustitiam, et odisti iniquitatem, » ubi verbum
 diligendi in originali est ardens et vehemens, ad-
 fertque aliquid affectione plenum, a qua eadem
 voce dictum est *Isai.* lxi, 8 : « Ego Dominus dili-
 gens iudicium. » Unde S. Basilius citato loco *Psalmi*
 indicat dicto diligendi verbo significari non tam
 labore et exercitatione partem dilectionem, quam
 insitam a natura iustitiæ affectionem; quamobrem
 addit : « Propterea unxit te Deus, Deus tuis
 oleo lætitiæ, » quod S. Augustinus ad Christum
 refert dicens : Propterea ut diligeres iustitiam,
 et odio prosequeris iniquitatem, unctus es. Quo
 sensu videtur dictum illud *Luc.* iv, 18 : « Propter
 quod unxit me, evangelizare pauperibus, » id est,
 ad eum finem veritatis et sanctitatis docendæ et
 iustitiæ servandæ pauperibus unctus sum : is enim
 Deus, qui iustitiam diligit, quia iustus et rectus
 est, adeo diligit iustitiam, ut pro illa servandâ et
 docendâ miserit Filium suum. Naque vero satis
 iustissimo Deo fuit, si iustitiam diligeret, nisi etiam
 et principes ac iudices voluerit directores esse ius-
 titiæ, ut sic melius innocentes, qualiter Deus
 erga iustitiam affloeretur; unde per Salomonem
 ait *Sap.* i, 1 : « Diligite iustitiam qui iudicatis ter-
 ram. » Quo loco verbum *græcum diligendi* vehe-
 mens est, et inculcat non quomodolibet, sed toto
 animo sectandam iustitiam. Quod etiam inculcasse
 videtur Christus Dominus quando dixit *Matth.*
 v, 6 : « Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam : »
 sic enim exponit S. Chrysostomus *hom.* 6 ex va-

Vera. 16
 et 17.

Judi-
 cium et
 iustitiam
 diligens
 oportet.

Qui
 aliam re-
 prehan-
 dit, de-
 bet care-
 re crimi-
 na.

Indigna
 debent
 esse di-
 rectores
 iustitiæ.

ris in *Matth.* in medio, ut dicta verba spectent ad
 iudices, qui non quoquo modo debent iustitiam
 administrare, sed veluti qui sitiunt et esuriunt :
 « Nota, inquit Chrysostomus, cum quanta id po-
 nit excellentia : non enim dixit : Beati qui iustitiam
 vendicant; sed : Beati qui esuriunt et sitiunt
 iustitiam; nesimpliciter, sed omni studio ea oheamus;
 quoniam hoc avaritiæ presertim proprium
 est, » etc. S. Bernardus quoque lib. III *De Consid.*
 ait : « Parum est iustitiam tenere, nisi etiam dili-
 gas : qui tenent tenent, qui diliguat zelantur.
 Amator iustitiæ inquit iustitiam, et prosequitur
 eam, » etc.

Vera. 18
 et 19.

18 et 19. Qui dicit regi apostata : qui vocat du-
 ces impios : qui non accipit personas principum :
 nec cognovit tyrannum, cum disceret contra
 pauperem : opus enim manuum eius sunt universi. —
 Ostendit quam alienum a Deo sit iudicium sub-
 vertere, cum ipse reges, principes et magistratus
 omnes in iudicium vocet; et qua ratione admini-
 straverit et iudicium reddiderit questionem
 instituit, et verbis eos gravissimis et acerbissimis,
 si in hac re peccaverint, reprehendit. Qui duces,
 inquit, qui pietatem proderunt, nulla adhibita
 vocis moderatione, impios appellat; qui reges a
 recto deficientes, quasi nullis essent alligati legi-
 bus, libera sive compellatione sive convicio apo-
 stata vocat. Quo autem vult illos ita reprehen-
 deret, si eodem ipse vitio contaminatus esset?
 nam qui equi et iniqui regula futurus est, debet
 ipse omni iniquitate vacare. Ex quo intelligitur,
 quantum oporteat eum illo crimine carere, cuius
 alium reprehendit. In originali prior hic versus
 per interrogationem exprimitur hoc modo, *an dic-
 tur regi, nequam es? impius es principibus?* quod
 diversum a Latino sensum facit, et a Septuaginta
 sic vertitur, *ἀδικεῖς ὁ λόγος βασιλέως· Παρρησιαί
 ἀδικίας τοῦ ἀρχόντος, impius est qui dicit regi :*
Iniuste agis, impissione principibus : in quibusdam
 Codicibus habetur *ἀδικία, impissimus;* et ex-
 ponitur a Scholiaste, *qui dicit regi : Iniuste agis,
 sicut impiissimus iudicatur a principibus,* q. d. Si
 regi terreno, qui est caro et sanguis, hoc non li-
 cet dicere, multo minus regi celorum, qui est
 Deus benedictus in sæcula. Quæ enim inter ipsum
 et principes terrenos est comparatio? rex quan-
 tumvis majestate aliqua præditus sit improbus
 esse poterit; principes vero et gubernatores, cum
 improbi sunt, et pessime officio funguntur, nihilo-
 minus tamen propter dignitatem, qua polleant,
 ipsorum nomini et famæ pariter. En vero libi
 Deum, qui non accipit personam, omnes istos
 magnos secundum mundum honoratos conterit,
 excendit ipsos non secus quam infimos, et osten-
 dit se nihili omnium suarum creaturarum sublimi-
 tatem facere. Quis ergo audebit adversus ipsum
 os aperire? regem timebimus; est et ille time-
 dus : gubernatores et præsides provinciarum ve-
 rebimur; id quoque æquum est, cum Deus illos
 eo honore affloerit. Sed quid est universus mun-

dis præ eo qui omnia habet in manu sua? Om-
 nes gentes quasi non sint sic tent coram eo : et
 quasi nihilum et inane reputatae sunt ei, » inquit
 Isaias cap. vi, 17 : et reges et gubernatores cum
 omni hominum multitudine tenet instar grani
 pulveris. Cum igitur sic se res habeat, audebi-
 musne adversus ipsum insurgere? quæ ea est au-
 dacia? quapropter non alia opus est condemna-
 tione in eos qui indignantur et insurgunt adver-
 sus Deum, quam ea reverentia, quam hominibus
 exhibent. Ratio igitur leniter decurrit, qua Eliu
 probare pergit a Deo iudicium minime corrumpi:
 nulla enim creatura vel potentissima est, cuius
 causa credi possit a Deo jus perverti : nihil enim
 ab eis sperat, vel timet, et dum a recto aberrant,
 graviter oburgat; in iudicio vero tanti apud eum
 ponderis inops quam dives ac potens est, cum
 omnium dominatur æque potatur.

NON ACCIPIT PERSONAS PRINCIPUM, NEC COGNOVIT TY-
 RANNUM. — Septuaginta legunt, *ὅτι ἐπιαισθητὴ ἀπο-
 στροφὴ ἐντίμου, ἀδίκῃ δὲ τῷ ἀρχόντῳ ἀδικεῖ, ἀναπαύσει τὴν
 σὺντα ἀρχόντων, non est veritus faciem honorati, neque no-
 vit honorem ponere potentibus, admirari factes eorum.*
 Accipere autem personam est non æquitas, sed
 qualitas persone, vel quis dives, vel qui pau-
 per, vel qui amicus, vel inimicus est, in iudicio
 non debet ducere. Ut si quis iudicet secundum di-
 vitem, non quia jus habet, sed quia dives est,
 quæ iudicandi ratio valde aliena est a Dei iudicio,
 cum nullo neque principem neque tyrannum
 reveratur, sed jus æquale in omnibus statuat :
 quare non potest frustra condemnare, aut iudi-
 cium subvertere, quia tunc persone potius qua-
 litate quam æquitate iudicium dirigeret. Hoc spec-
 tal locus ille *Beuter.* i, 17, ubi Deus ait : « Nulla erit
 distantia personarum, ita parum audietis ad
 magnum : non accipietis cuiusquam personam,
 quia Dei iudicium est; » ubi videtur rationem reddi.
 Persona-
 rum ap-
 cepit
 prout
 alio
 debet
 iudicio.

Persona-
 rum ap-
 cepit
 prout
 alio
 debet
 iudicio.

qui dicit regi : Iniuste agis, sicut impiissimus iudicatur a principibus, q. d. Si regi terreno, qui est caro et sanguis, hoc non licet dicere, multo minus regi celorum, qui est Deus benedictus in sæcula. Quæ enim inter ipsum et principes terrenos est comparatio? rex quantumvis majestate aliqua præditus sit improbus esse poterit; principes vero et gubernatores, cum improbi sunt, et pessime officio funguntur, nihilominus tamen propter dignitatem, qua polleant, ipsorum nomini et famæ pariter. En vero libi Deum, qui non accipit personam, omnes istos magnos secundum mundum honoratos conterit, excendit ipsos non secus quam infimos, et ostendit se nihili omnium suarum creaturarum sublimitatem facere. Quis ergo audebit adversus ipsum os aperire? regem timebimus; est et ille time- dus : gubernatores et præsides provinciarum verebimur; id quoque æquum est, cum Deus illos eo honore affloerit. Sed quid est universus mun-

Psal. lxxxii, 1 : Deus sedit in synagoga Deorum; in